

Dominus, cum oravit : *pater, si perī potest, transfer calicem hunc a me. Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*, si tali modo voluntatem nostram divinæ subiciemus, omnis crux, quantumvis gravis, fiet nobis portando facillima, etc.

## CONCIO VII.

QUATUOR CRUCIS DIMENSIONES, SEU VIRTUTES  
PRIMARIE CRUCIFIXI.

I. Longitudo crucis, patientia. — II. Latitudo obedientia. — III. Altitudo, paupertas. — IV. Profunditas, humilitas.

## THEMA.

*Ita exaltari oportet Filium hominis.* Joan. III.

Duos potissimum libros proposuit nobis Deus, in quibus opera Dei, et quæ nobis agenda sunt, legere et intelligere possumus. Primus est creaturarum seu totius mundi, de quo alias diximus: cæterum quia in illo legimus tantum ea, quæ majestatis sunt et gloriæ Dei, non item ea, quæ abjectionis et vilitatis, idcirco Deus nobis alterum addidit librum, crucem videlicet, seu Filium suum crucifixum, in quo præter alia multa doceremus in primis ea, quæ aliquin homines fugiunt et horrent; suntque hæc potissimum: Paupertas, humilitas, patientia et obedientia. Hæc enim quia sine magno et infallibili aliquo duce et magistro capere et amplecti difficillimum erat, (siquidem mortales omnes inhiant divitiis, quærunt libertatem et imperia, ambiunt honores, diligunt voluptates, etc.) idcirco exaltari in crucem oportuit Filium hominis et Dei ut fieret nobis liber, doctor atque ductor ad hæc amplectenda. Et quia nobis liber iste summe necessarius est, idcirco S. Paulus, ad Ephes. III. de hoc crucis libro, juxta communem patrum expositionem scribit: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, et latitudo et sublimitas et profundum.* Quibus quatuor dimensionibus videtur voluisse tangere quatuor primarias virtutes in cruce ad exemplum nostrum propositas. Quas hic discutiemus.

I. Longitudo crucis patientiam Christi notat, siquidem ad patientiam pertinet longanimitas et perseverantia. Longissima fuit Christi patientia, omnium hominum patientiam longissime excedens. Primo, quia nemo omnium fuit tam innocens, sanctus et purus, atque ipsa puritas et sanctitas, Christus. Eo major autem est patientia, cæteris paribus, quo innocentior est is qui

patitur. Et hæc Christi innocentia fuit omnibus perspecta. Ipsi enim adversarii nihil peccati ei poterat objicere, quod aliquam probabilitatis speciem haberet.

Secundo, quia acerbissima et indignissima passus est, et in una cruce multas cruces. Primo, dolorem acutissimum in affixione; secundo, in crucis erectione et corporis concussionem; tertio, nuditatem in aere frigido et solis defectu; quarto, defatigationem incredibilem; quinto, sitim intolerabilem, tum ex defatigatione, tum ex sanguinis effusione ortam; sexto, carentiam usus membrorum et alligationem totius corporis movere se non valentis; septimo, conspectum matris; octavo, tormentum ipsum crucis, sensu doloris cætera superans. Etsi enim pœna ignis videtur esse acrior, crucis tamen longe est diuturnior, ut hinc multis ignibus æquari possit. Ideo veteres hoc supplicium, summum et supremum appellarunt, et ignis supplicio prætulunt, teste Lipsio, lib. II. de cruce, cap. I. Maximus ibi dolor in nervorum diruptione et compressione, qui pondere corporis assidue deorsum trahente factus est sensim acutior, præsertim in tam sano et nobilis temperamenti corpore, tantaque sensuum perfectione et rigore. Accedit vulnere totius corporis concisi divulsio, apertio et renovatio: accedunt spinæ coronæ ad crucem impactiones, denique, totius corporis instar chordæ in arcum valida extensio, ita ut omnia ossa, testimonio prophætæ, dinumerari possent, Psalm. XXI. nono, probra et contumelias, quantas nullus unquam mortalium pertulit, contumelias inquam, non verborum tantum, sed et factorum, verborum, dum Judæi insultabant beneficiis ab eo acceptis: *Alios salvos fecit, etc.* calumniabantur ejus dicta perperam intellecta: *Hic dixit: Possum destruere templum, etc.* item: *Etiã vocat iste.* objectabant ei infirmitatem, quasi nihil posset: *Si Filius Dei est; si rex Israel, descendat nunc de cruce* denique, blasphemabant eum; factorum vero dum infami loco et ligno medium inter latrones suspenderunt, dum eum irriserunt moventes capita sua, dum felle et aceto potarunt. Quid his atrocibus excogitari potest? Decimo, mortem amarissimam et horribilissimam.

Tertio, quia ab impiis hæc pertulit, et a servis ac creaturis suis. Quis autem nescit, acerbissimum esse pati indigna ab iis, qui ipsimet flagitiosissimi omnia dira merentur supplicia? Quis non indignetur, si videat innocentem plecti a nocente? Sed creatorem a creaturis, Dominum a servis tam indigna pati, omnem excedit modum. Hinc illud, Thren. V. *Servi domati sunt nostri*, pro maximo inducitur supplicio. Hinc Maximia-

nus imperator, ut S. Sergium primicerium suum, qui se Christianum libere profitebatur, maxime affligeret, judicandum et atrociter puniendum misit ad Antiochum præfectum orientis, qui Sancti Sergii servus extiterat: a quo Sergius calcis aculeatis indutus ante rhedam ejus currere coactus est, ut in ejus martyrio, 7. octob. At multo majus erat dominium et jus Christi, quod habebat in Judæos et crucifixoos suos, et tamen ab his passus est.

Quarto, quia hæc omnia patientissime tulit sine querelis, sine appellatone, sine clamore, sine imprecatione, sine vindicta (quam facillime poterat sumere), sine comminatione, non questus est, nullam emisit vocem, nullas lacrymas fudit, neque molestiis commotus est, nec judicibus supplicium fuit, neque pœnarum sublevationem petiit: non iratus est, miraculum non fecit, nihil magnum ostentationis gratia dixit; sed: *Sicut agnus coram tondente se obmutuit*, Isa. LIII. et: *Cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur*, ut ait S. Petrus, I. P. II. Atque isthæc omnia ut patientia nos doceret. Pati noluit æger salutis instrumenta, passus ea igitur est medicus, ut disceret pati æger.

II. Latitudo obedientiam designat, quia dicitur Psalm. CXVIII. *Latum mandatum tuum nimis*, hoc autem percurrit obedientiam, quæ sane in Christo fuit latissima et eminentissima. Primo, quia secundum naturam divinam liberrimus, et super omnem legem, imo legifer ipse erat: secundum naturam vero humanam erat a Deo unctus rex super omnes. Cum igitur summus, et ab omni hominum subjectione exemptissimus esset, subjecit se nihilominus et obedivit iis, sub quorum potestate non erat, imo quibus ipse dominabatur. Voluit obedire supremis infimis, et dominus mancipiis, ut disceremus obedire infimi supremo, mancipia domino suo, quod facere volebamus.

Secundo, quia ut ait apostolus ad Philip. II. *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* In re igitur difficillima, et omnium terribilium terribilissima obedivit, qualis est mors, et præsertim mors tam dira et infamis, mors crucis, quia vidit nos mortem perhorrescere, vel saltem mortis genera quædam atrociora; et quia vidit, nos ad obedientiam superioribus præstandam, in rebus præsertim difficilibus difficile moveri: consideret unusquisque crucem obedientiæ suæ, præcepta Dei, Ecclesiæ et superiorum suorum, si placet, et provocet se ad crucem obedientiæ Christi.

Tertio, quia obedivit non solum Patri suo æterno usque ad mortem inhærendo ejus mandato et

perseverando in cruce, licet cæro mortem horret, uti explicavit in horto; verum etiam judicii iniquo, juxta id I. Petr. I. *Tradebat autem judicanti se injuste*, qui ut ait S. Leo, serm. III. de passione: *lisdem labiis Jesum misit ad crucem, quibus eum pronuntiavit innocentem*; judicium inquam, qui non modo non habebat potestatem ullam in Christum etiam ut hominem, sed ipsi contra subiectus erat. Denique etiam vilissimis Pilati, ministris, et carnificibus obedientiam exhibuit, suscipiendo ab iis crucem impositam, sequendo eorum ductum, extendendo super crucem manus, et pedes ad eorum imperium et placitum, quoad clavis affigerentur, permittendo se eorum libidini, risui aliisque, quas plerumque carnifices inferunt necandis. Quis hic non obtupescat? Sane nobiles viri, etiam cum ob reatus suos capite plectuntur, solent hoc honore donari, ut a carnificibus in corpore non tangantur, nisi eum suscipiunt ictum: imo repellunt carnificem sese attingentem. Nihil horum fecit vel petiit, aut obtinuit Christus, sed tradidit se interfectores nullo sibi prorsus jure reservato; ut nos disceremus obedire imprimis Deo; deinde dominis legitimis; denique (si ita res feral) etiam dyscolis et improbis, modo si non imperent contraria legi divinæ.

Quarto, quia ad hanc obedientiam sponte sese obtulit, juxta id Isa. LIII. *Oblatus est, quia ipse voluit.*

Nemo illum coegit, ne quidem æternus Pater, cujus voluntatem sponte acceptavit nedum Judæorum manus armata. Sola impulit charitas ut nos a gehennæ incendiis eriperet, et simul obedire doceret, quæ est secunda ad cælum semita. Nos igitur qui tot titulis Deo subjecti sumus et obstricti, num obedire dedignabimur? Quanta hæc confusio! Obedire noluit Deo homo tantum illi obstrictus: obedivit igitur Deus homini? Annon pudet nos? Conditus fuit homo, ut suo creatori serviret: et quid justius quam illi servire, qui te creavit et sine quo nihil penitus esses? Et quid gloriosius, quam illi servire, cui dum servis, regnas? Superbus autem homo dixit: *Non serviam creatori.* At ego, inquit creator: Tibi servire volo. Tu mensæ accumbe, et ego tibi ministrabo: tu quiesce, et ego laborabo: tu liber esto, et me vincito: tu me in servum accipe et adhibe ad placitum. Ergone adhuc lubet obedientiæ jugum excutere?

III. Altitudo paupertatem videtur indicare, siquidem apostolus II. Cor. VIII. Ecclesiarum Macedoniæ paupertatem vocat altissimam: *Altissima*, inquit, *paupertas eorum abundavit.* Fuit vero altissima Christi crucifixi paupertas. Primo, quia



ex ditissimo factus est pauperrimus : unde apostolus loco jam citato ait : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Quamvis vero in cœlo non desiderit esse dives, in mundo tamen pauperrimus fuit. Nemo autem nescit duriores esse paupertatem ei, qui divitiis cumulatus et assuetus fuit. Christus omnium erat Dominus, omnium auctor et largitor, si divinam ejus naturam spectes : si humanam, ad ipsum pertinebant omnia sublimis cujusdam dominii jure, quod illi ratione unionis hypostaticæ competeat. Quis ergo nunc inique ferat paupertatem? An nescimus nos in mundum nihil intulisse, adeoque nudos et mendicos de utero matris egressos? Quo pacto igitur servus ita immoderatus erit, ut ditior esse velit domino suo?

Secundo, quia summa fuit, et omnibus destituta. Pependit enim in cruce Dominus vestibus spoliatus, lectus illi lignum fuit, et quod vulpes et volucres habent, ipsi defuit, ubi videlicet caput reclinaret : denique, in tanta paupertate vitam finit, ut poculum aquæ, quam moriens petebat, obtinere non potuerit ; quodque intolerandum, cum hæc ipsius desolatio ac paupertas omnibus pateret, nemo tamen adfuit, qui opem egenti ferret. Itane aliquando visa vel audita est durior paupertas? Quam ergo magnum hic inveniunt pauperes in suis miseriis consolationem? Quanto jure dicere possunt, divites se esse respectu crucifixi?

Tertio, quia per summum nefas ab iis spoliatus est vita et fortunis omnibus, quorum summus benefactor erat. Si enim divinam ejus naturam spectemus, ipse illos vestiebat, a quibus nudabatur : illos nutrebat, a quibus aquam non obtinebat : illis vitam dabat, a quibus necabatur. Si humanam naturam attendas, pertransiit beneficiendo omnibus, et sanavit omnes oppressos, pavit esurientes, curavit ægrotantes, erexit jacentes, ad vitam revocavit mortuos. Invicem igitur tot beneficiorum nunc omnibus bonis exiit et eiecit e mundo. Quis tam dira unquam passus est.

IV. Quia summa charitate paupertatem hanc in se suscepit : *Ut illius inopia vos divites essetis,* inquit apostolus, loco supra citato. Ditavit enim eos per inopiam suam spiritualibus divitiis, doctrina pietatis, peccatorum remissione, vestivit gratia et virtutibus, nutrivit sacramentis, etc. « Omnes ergo boni fideles, infert hinc S. Beda hic, sunt divites, nemo se contemnat : pauper in cella, dives in conscientia, securior dormit in terra, quam auro dives in purpura. » Quemad-

modum S. Ignat. Loyola, pretiosas vestes suas commutavit cum mendicis vilissimis centonibus, ita fecit Christus.

Quarto, profunditas humilitatem sine dubio significat, quia hæc fundum petit, ad terram sese abiecit. Profundissima hæc in Christo est. Primo, quia cum esset summus, factus est infimus : cum esset omnia, factus est nihil. Ita enim scribit apostolus ad Philip. II. *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Parum igitur est si homo se humiliet, quia ab humo dictus et formatus est, idemque in humum redigendus ; sicuti mirum non est, si lapis ad terram descendat quia terra est. Illud vero mirum, quod cœlum se ad terram demittat.

Secundo, quia juxta doctrinam suam in infimo loco recubuit. Etenim passus est in loco infami publicorum suppliciorum, supplicium item pertulit ; quo nullum magis infame, aut magis abominandum erat : nam et apud Judæos : *Maledictus, id est, detestandus et execrabilis erat Deo omnis, qui pendet in ligno,* Deut. XXI. et apud Romanos non nisi infimæ sortis hominibus, id est, servis iisque extreme sceleratis irrogari solebat, unde et supplicium servile vocatum est, Lipsius, I. II. de cruce, c. XII.

Tertio, ad infimos, imo infra infimos se humiliavit, siquidem cum latronibus et inter illos medius, quasi latronum princeps crucifigi non abhorruit. An adhuc inferior et deterior locus in mundo reperiri potest, in quem descendere poterat? Itaque ex primo factus est novissimus ut vocatur, Apoc. I. *Hæc dicit primus et novissimus.* Vidit enim Deus hominem subjacere et hominibus cedere nolle ; itaque subiecit infimis hominibus, qui supremus erat.

Quarto, quia nulla necessitate aut æquitate, ob quam alii homines communiter se humiliant, quia scilicet vident se abjectos, subditos, defectuosos, aut peccatores : sed mera voluntate ob amorem nostri se humiliavit, ut nos exaltaret et ad hanc virtutem imitandam invitaret : unde dixit apostolus : *Humiliavit semetipsum.* Quare tu, quicumque es, vane et superbe homo, intueri crucifixum, non pulchris indutum vestibus, sed nudum et cruentatum : non illius manus annulis ornatas et gemmis, sed perforatas acutis clavis : non caput cinctum corona e floribus contexta, sed spinarum aculeis : non aulicos aut satellites circumcirca stantes, sed latrones binos hinc et hinc pendentes : non gratam symphoniam, sed omnis generis probra, contumelias et blasphemias, etc. Quid tibi insuper monstrandum, si ista te non movent? Durior es lapidibus, qui ad hoc spectaculum fissi sunt : magis mortuus es,

quam mortui, qui e sepulcris exierunt, cum hæc agerentur : immobilior es terra, quæ tum contremuit : pertinacior Judæis, qui tandem emolli percutientes pectora sua revertebantur.

Quæ cum ita sint, quis jam non obvis ulnis amplectatur patientiam, obedientiam, paupertatem, humilitatem? An exemplum Christi non erit nobis deinceps pro omnibus rationibus, quas in contrarium posset mundus afferre? An malumus cum mundo ad modicum in terra frui voluptatibus, libertate, opibus, honoribus, et postea in æternum his omnibus privemur, et cum illo damnemur : quam cum crucifixo pati, obedire, egere, deprimi hic ad modicum, ut cum illo postea æternum beati simus? Absit a nobis, absit hæc insania. Esto ante crucifixum potuerit nos mundus, caro et diabolus decipere et permoveere, ut fluxa bona avidè quæreremus, patientiam vero, et obedientiam, paupertatem et humilitatem fugeremus : sed jam postquam hoc exemplar crucifixi vidimus, non decipiet amplius. Nimis enim stulti essemus, si ea vellemus fugere, quæ Deus est amplexus : ea vero amplecti, quæ Deus adeo fugit. Unum id rogare Deum debemus, ut in hoc proposito conservet nos et roboret.

## CONCIO VIII.

## MYSTERIA EVANGELII.

I. Cur Nicodemus venerit nocte? — II. Quid : *Nisi quis renatus fuerit denuo?* — III. Quare voluit Christus non nisi renatum videre regnum Dei? — IV. Quid : *Spiritus ubi vult spirat?* — V. Quid : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit?* — VI. Quid : *Sicut Moyses exaltavit serpentem, etc?*

## THEMA.

Quomodo possunt hæc fieri? Joannis III.

Bene et apte dicitur, hanc Christi cum Nicodemus dissertationem de nocte factam esse, est enim difficilis et obscura ; sed nimirum Christus accommodavit se ubique captui auditorum, quia Nicodemus legisperitus erat, et celebris magister in Israel, uti patet ex illis verbis : *Tu es magister in Israel,* (Græce : *Tu es ille magister in Israel,*) quasi diceret : *Celebris ille ; ideo cum illo sublimiora tractare voluit.* Et forte ut eum de doctrina sua præsumptem humiliaret, tum illi tradere aliqua voluit quasi ænigmata, quæ solvere et intelligere non posset. Sed quid nos, auditores, ex hoc evangelio obscuro? Si magister in Israel capere id non potuit, quomodo nos ca-

piemus? Accendamus ergo huic nocti lucem aliquam.

I. Cur venerit Nicodemus ad Jesum nocte et non interdiu? Respondent primo, D. Chrysostomus et Theophylactus, id fecisse propter timorem Judæorum. Ejusmodi principes multos fuisse scribit Joann. c. XII. qui crediderunt in Christum, sed propter Phariseos non confitebantur, ut non de synagoga ejicerentur, quibus tamen Joannes hanc futuram asseruit : *Dilexerunt enim hominum gloriam magis quam gloriam Dei.* Triste verbum, auditores. Quale enim judicium expectaremus, nisi hoc de nobis enuntiaret Iudex? Nonne illud : *Amen dico vobis : Nunquam novi vos, jure videlicet, quia de nocte venientes non facile agnoscentur.* Et tamen quam multi istud non advertunt? Imo deteriores? Nam excusari tunc Nicodemus et alii poterant, quia periculum illis imminerebat a Judæis Christi hostibus quos habebant innumeros ; sed non ita nos. Quid enim metuimus inter Christianos christiane agere et vivere? Crevit tamen in fide et amore Christi paulatim Nicodemus, nam, Joan. VII. in concilio pro Christo locutus est, et mortuum non erubuit sepelire, Joan. XIX.

Respondet secundo, S. Augustinus, epist. XXVIII. ad Hieronymum, quia fortassis erubescat discere, quod docere consueverat. Erat enim magister in Israel, teste Domino : et tales ordinarios non volunt discere saltem publice, ne indoctiores et viliores habeantur, quales adhuc multi sunt, qui a diabolo persuasi quasi jam ipsi per se scient, quid agendum vel credendum sit, retinentur, ne ad conciones audiendas accedant. Viderint tamen instar Nicodemi, an ipsa fidei rudimenta ignorent, qui magistros in Israel se existimant.

II. Quid est, quod ait Dominus : *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei?* Respondetur, Christum proponere hoc verbo alphabetum christianæ fidei, scilicet baptismi necessitatem, Nicodemus salutis suæ viam affectanti. Unde patet Christi ad docendum zelus ; statim enim arripit occasionem tradendi symbola christianæ fidei ; et deinde id præstat in ipsa nocte, quod signum est patulas habuisse foras etiam de nocte, ad quosvis recipiendos et erudiendos. Ita Schatius episcopus, omni tempore apertum habuit episcopale tabernaculum, ut ab omnibus quocumque tempore, semper adiri posset, ut scribit Sozomenus, lib. VII. hist. cap. XXVII.

III. Quomobrem voluit Christus ut nisi qui renatus esset ex aqua et Spiritu sancto per baptismum, non videret regnum Dei? Respondetur,



convenientissime hoc a Christo institutum esse, ut intelligeremus nos per peccatum originale fuisse inquinatos, adeoque per lavacrum aquæ abluendos esse a contractis sordibus. Primum est, quod fit infanti in lucem edito, ut lavetur a sordibus corporalibus. Ut ergo sciatur, nasci omnes cum sordibus spiritualibus peccati originalis, ideo alterum etiam et spirituale lavacrum fuit necessarium: *Quis enim mundus a sorde*, inquit Job, cap. XIV. (juxta Septuaginta interpretes) *etiamsi unius diei sit vita ejus super terram?* Conferitur autem hæc vis *operis*, operatione Spiritus sancti. « Quomodo enim viribus ignis, inquit Cyrillus Alex. l. II. in Joan. intentius aqua calefacta, non aliter quam ignis urit: sic Spiritus sancti operatione ad divinam aquæ reformantur virtutem, qua baptizati corpus absterunt. »

Secundo, ut sciremus necessariam esse novam et spiritualem generationem illis, qui regnum Dei videre volunt. Carnalis enim ex Adamo natiuitas cum ad mortem tantum generet, opus habuit regeneratione altera, qua ad vitam renasceremur immortalem. In cuius rei figuram, Gen. I. cum mundum Deus creare inciperet, Spiritus Domini ferebatur super aquas (seu ut habetur in Hebr. incubabat super aquas quasi nimirum eas fovens ad proles inde educandas, creaturas varias). Allegorice enim significabatur Spiritus s. aquis baptismi quasi incubans, iisque nos parturiens et regenerans, inquit S. Hieronymus, epist. LXXXIII. ad Ocean. Quoniam igitur ex veteri Adamo omnes nascimur filii iræ, ut ait apost. ad Ephes. II. nova generatio fuit nobis necessaria, qua in filios Dei adoptivos gigneremur.

Tertio, ut hac ratione Christi sepulture et resurrectioni conformaremur, cujus merita participamus. Per immersionem enim in baptismo, quodammodo cum ipso consepelitur vetus homo, et per emersionem cum eodem novus homo resurgit: unde apostolus ad Rom. VI. ait: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, etc.* Scribit S. Aug. I. IV. de civitat. Dei, prisecum Romanis morem fuisse, ut infantem mox natum humi deponerent et continuo levarent: unde Levanam deam finxerunt. Ex quo colligitur, etiam apud ethnicos fuisse aliquod schema hujus sepulture spiritualis.

Quarto, ut moneremur spiritualem nobis vitam exinde ducendam esse, et spiritualia consecranda, non carnalia. Ait enim Dominus: *Quod natum est ex carne, caro est. Quod natum est ex spiritu spiritus est*, quasi diceret: Spiritus est ista regeneratio, monetque ut: *Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate*

*vite ambulemus*, subdit apost. ad prædicta verba ad Rom. Quod si carnalem vitam duxerimus, attendamus ad id, quod dixit Deus ad Noe: *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.*

IV. Quid sibi vult illud *Spiritus ubi vult spirat?* Respondeo, ostendere operationem Spiritus sancti in baptismo et similibus operibus invisibilem esse. Quomodo enim venti sibilum audimus, nescimus tamen unde veniat aut quo vadat: sic ignota est spiritualis regeneratio, quomodo opera Spiritus s. fiat: nisi quod videmus hominem, qui paulo ante carnalia tantum et animalia sapiebat ac loquebatur, post operam Spiritus sancti illa fastidientem et non nisi spiritualia eructantem. Sic mirabantur Judæi, quod apostoli post missionem Spiritus sancti loquerentur variis linguis magna Dei palam et absque timore, qui paulo ante mutire non audebant: unde putabant eos musto plenos esse, Actor. II. sic stupebant omnes, qui audiebant Paulum prædicantem Jesum Christum quem paulo ante persequabatur: *Nonne hic est, inquiunt, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud?* Actor. IX.

V. Quid illud: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo?* Respondeo, verbum illud *ascendit*, esse præteritii temporis, idque requirere contextum sermonis. Dixerat enim Dominus: *Si terrena vobis dico, non creditis: quomodo si cælestia vobis dixerero, creditis?* Moxque subjungit: *Et nemo ascendit in cælum, etc.* quasi diceret: Quomodo cælestia narranti mihi credetis, cum nemo adhuc ascenderit in cælum præter Filium hominis, qui in cælo est, et obtinet cælum, quod alii non nisi per ascensum obtinere possunt; vel vult dicere: Possem ego vobis cælestia narrare, qui in cælo versor, et quidem adhuc solus, si narranti credere velletis, sicut merito debetis. Deinde, respondet Sanctus Augustinus, Beda et alii, ascendisse quidem Christum in cælos, sed cum membris suis, id est, justis: *Ascendit solus*, inquit Sanctus Bernardus, sermone de ascens. *sed ascendit totus.* Totus homo coronari dicitur, non caput tantum, cum corona capiti ejus imponitur.

Denique, ascendit solus propria virtute, alii assumuntur. Unde Ecclesia Christum ascendisse, beatam Virginem assumptam esse prædicat. Sola enim caro ascendere non posset, evehi deberet; Christus autem Deus et homo est, ideoque solus ascendit.

VI. Quid illud: *Sicut Moyses exaltavit serpentem, etc.* Respondetur tradi hic christianæ vite fundamentum quod est fides. Ut enim nemo morsus a serpentibus ignitis, Num. XXI. sanabatur, nisi per aspectum serpentis ænei exaltati in pertica:

sic nemo salvari potest nisi per fidem Christi crucifixi. Habuit serpens ille formam serpentis, sed non vitam et venenum: ita Christus assumpsit formam peccatoris, sed non peccatum. Fuit serpens ille ignitus, Hebr. seraph (unde seraphim dicti) Christus etiam in cruce igne amoris nostri arsit. Serpens ille grandis et exaltatus fuit, ut omnibus esset conspicuus: ita Christi crucifixi

gloria pervenit ad omnes gentes. Fuit serpens ille æneus: sic Christi heri et hodie et in sæcula. Serpens ille aspici debuit, ut serpentum morsus sanaret: ita Christus per fidem, contritionem et dolorem contemplandus: *Non te pigeat*, inquit S. Bernardus, *videre serpentem in patibulo pendentem, si vis videre Regem in solio residentem.*

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### MAGNA BONA IN CRUCE ABSCONDITA.

I. In cruce summa gloria. — II. In cruce solatium et remedium tribulationis. — III. In cruce asylum et refugium peccatorum. — IV. In cruce præsidium contra hostes. — V. In cruce sapientia. — VI. In cruce signum electorum.

#### THEMA.

*Ita exaltari oportet Filium hominis.* Joan. III.

De Tiberio secundo imperatore scribit Paulus diaconus, l. XVIII. de gestis Rom. eum postquam bona sua magna ex parte in pias causas erogasset, domi in palatio obambulante invenisse in pavimento tabulam marmoream, cui signum crucis insculptum erat. Quam cum ob honorem crucis elevari præcepisset, sub ea alteram similem, et sub hac tertiam eadem cruce insignitam reperit. Quibus omnibus sublatis, thesaurum invenit maximum ad coronatorum fere millionem. Celebramus hodie festum inventionis sanctæ crucis, quam ingenti cum gaudio reperit Jerosolymis, postquam ea ad trecentos fere annos jacuit sepulta, mater Constantini Magni, S. Helena; et celebramus simili gaudio. Sed quæ hæc, dicit aliquis, gaudii materia? Ob inventam crucem? Quid enim crux nisi horror et amaritudo? At sciendum est latere sub hac cruce maximum thesaurum, non pecuniarum, sed gratiarum. Quem sane agnovit inter alios sanctus pater noster Ignatius, qui cum aliquando Salmanticæ præter omnem culpam carcere inclusus detineretur, acceptis literis commiserationis et consolationis plenis a sacratis Deo virginibus, respondit eis: « Miror vos, quibus crucis Christi mysterium pertractatum esse oportuit, immensos gloriæ thesauros in cruce inclusos ignorare. Ego quidem gaudeo quæd majora et graviora pro Christi nomine sustinere dignus inveniar, » Ribad. lib. I. c. XV. vitæ. Vi-

dit ergo hic sanctus pater latentem in cruce non unum, sed plures thesauros. Sed quinam illi thesauri? Conemur et nos quoque eos investigare: quod hic faciemus.

I. In cruce latet summa gloria, adeo ut Sanctus Paulus ad Galat. c. VI. nulla alia in re, nisi in cruce gloriari velit: *Mihi autem absit gloriari*, inquit, *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* In quæ verba Sanctus Augustinus, serm. XX. de verbis apostoli, ait: « Poterat apostolus, gloriari in sapientia Christi, et verum diceret: poterat in majestate, poterat in potestate, et verum diceret; sed dixit: *In cruce*: ubi mundi philosophus erubuit, ibi apostolus thesaurum reperit. » Quis vero hic gloriæ thesaurus?

Primo, ingens ille Dei amor et benevolentia, qua nos adeo dilexit et tantæstimavit, ut crucis opprobrio redimere non dubitaret. Quis enim non duceret sibi honori, si captivus factus in prælio, redimeretur a suo duce vel imperatore quantacumque auri summa? Anniceris Cyrenæicus captum ab Ægineis Platonem et morti adjudicatum, viginti minarum (hoc est quingentum flor. Brabanticis) pretio redemit, et Athenas in patriam remisit. Quam pecuniam cum ei postea Plato remisisset, doluit Anniceris quod non majore summa Platonem redemisset, quam reddere is non posset. Tanti nimirum Platonem æstimavit, Laert. libro III. Pontan. de liberal. capite XXIV. Erat certe hoc non parva Platoni gloria. At quid hoc respectu illius pretii, quod pro nostra redemptione exsolvit Dei Filius, quodque tantum est, ut nullo alio pretio, etiam totius mundi compensari aut restitui queat? Quanti ergo putatis nos æstimavit Deus? Solemus res etiam viles a rege et imperatore nobis donatas in pretio habere eaque ostentare, in signum regiæ aut Cæsareæ erga nos benevolentia. Cum Bernardus Saxonæ ducatu ab imperatore investitus esset, projecit ex obliquo imperator rubeam coronam (ut erat coronatus per æstum) in clypeum Bernardi supplicantis. Eam Bernardus

#### V. PARS FESTIVALIS.